



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXXVI. De Religiosis Domibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ultrò novam aliquam legem & necessitatem imponit. Item, *deliberata*; quia votum cum iudicio & maturâ de liberatione emitti debet, *c. Licet 6, h. t. can. ult. in fine VII. q. 5*; Dicitur, *Deo facta*; quia in voto quæritur Deo obligatio; & proinde etiam si non sit, qui recipiat votum, obligatur tamen, qui votum emisit, *can. Quod Deo xxxiii. q. 5, c. Ex parte 18, in fine inf. De censib.* Excepto voto professionis, in quo reciproca inter venit obligatio, quæ non potest induci citra consensum utriusque, scilicet, profitentis, & illius, qui professionem recipit: exemplo contractuum, qui sine consensu duorum non perficiuntur. *Panorm. in c. Consulti 20, sup. De regularib.* Dicitur denique, *de aliquo faciendo &c.* quod scilicet in Dei obsequium & cultum vergat; veluti proficisci Hierosolymam, Compostellam, *c. 2, d. c. Licet & c. Magna 7, h. tit.* item abstinere vel non contrahere matrimonium, vel quid simile: quod genus voti etiam

servandum est, ut latè deducit Hostien. in *Summa h. t.*

Votum aliud solemne est, quod emittitur, exterius adhibitâ solemnitare, quâ votum executioni mandari solet; veluti per professionem, expressam vel tacitam, alicujus Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ, interveniente acceptione Superioris, & per susceptionem Ordinis sacri: aliud simplex, quod emittitur, nullâ adhibitâ solemnitare.

Effectus utriusque est, ut fides semel Deo data servetur. Nam licet ab initio liberum sit vovere, vel non vovere, tamen postquam votum emissum est tenetur quilibet illud adimplere, *d. c. 6, in pr. h. tit.* Nisi auctoritate superioris & ex justa causa placuerit illud redimi, vel in aliam aliquam piam causam commutari, *c. 1, & c. Ex multa 9, h. tit. V. A.*

AD XXXV. DE STATV REGVLARIVM.

SUMMARI A.

1. Status hic quid & in quibus consistat.
2. Inter Regulares & Monachos quid intersit.

Per statum intelligitur hoc Tit. conditio, vita, conversatio seu vivendi ratio. Itaque ad statum Regularium in primis pertinet, ut regulam, quam professi sunt, diligenter servent, *cap. 6, h. tit.* ut nihil habeant proprium, nec peculium, nisi quod administrationis gratiâ illis per Abbatem vel Superiorem concessum fuerit, *cap. 2, & d. cap. 6, h. tit. Canif. in Summa lib. 1, tit. 25. 5.*

12, ut non vagentur, sed in Monasteriis suis manent, *can. Placuit 2, xvi. q. 1.* Ad quod tamen artius obligantur moniales, quàm Monachi, *cap. unico h. tit. in 6, Capit. d. locorum 13, & 14.* Et ne foret disciplina monastica collabascet, iustitui jubentur de tricennio in tricennium Capitula seu Concilia Regularium provincialia, *cap. 7, hoc tit. in quibus corrigatur quod est corrigendum, cap. ult. h. tit.* Porro inter Canonicos Regulares & Monachos hoc interest, quòd illi Ecclesiis parochialibus præfici possint, Monachi non item, *d. c. 2, & c. Quod Dei 5, h. tit. Canif. loco cit. num. 16, V. A.*

IN TIT. XXXVI. DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

Novam Religionem inducere non licet, aut religiosam domum de novo fundare, nisi fundans regulam & institutionem de Religionibus accipiat à Sede Apostolica approbatis, *c. ult. h. t. Canif. in Summa lib. 1, tit. 25. 9.* Per Religiosam autem domum intelligimus locum consecratum ac dedicatum auctoritate Episcopi, vel generalius quemlibet locum destinatum religioni & cultui divino vel alteri piæ causæ, *c. Ad hac 4 & ibi Panorm. h. t. & c. Parentibus 10, inf. De privil. can. Quidam xviii. qu. 2, & Hostien. hic in Summa.* Cujusmodi loca regulariter subsunt Episco-

po, in cujus diocesi sita sunt, *c. 2, c. Constitutus 6. c. Cum venerabilis 7, cum c. seq. h. t.* Idque obtinet etiam in Monasteriis, quæ & jura Episcopalia debent Episcopo loci, nisi appareat ea remissa esse legitime, *d. c. 6, h. tit.* vel aliàs Monasterium probet se exemptum, *d. c. 7, & c. 8, h. t.* Præterea fallit dicta regula respectu temporalium: nam in temporalibus bonis Ecclesiarum vel Monasteriorum Episcopus jure communi non est fundatus, nisi aliter doceat de jure suo, *d. c. 7, Vide Canif. lib. 2, tit. 23, V. A.*